Nobiliss^mo viro D. Constantino Hugenio
Equiti Caspar Barlaeus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Non statueram tibi scribere, Nobilissime Hugeni, nisi dedita Breda, ut et laetior esset scribentis dictio et legentis lectio. Celsissimo Principi ac patriae universae gratulor illustris victoriae laudem. Gratulor tibi, inter tot bellorum & castrorum incommoda incolumi. Expugnavit urbem Auriacus, quam Marchio Spinola ad deditionem compulit, aliquot retro annis. Diversum utriusque Ducis consilium fuit, et vincendi modus valde dispar. Spinolae Julii Caesaris institutum placuit, fame potius, quam ferro urbem expugnandi. Auriaco Domitii Corbulonis, qui dolabra, hoc est, operibus hostem vincendum esse dicebat. Qui Auriaco placuit modus, maioris fuit animi, qui Spinolae maioris patientiae. Auriacum duxit fiducia aperto Marte vincendi, Spinolae desperatio hoc modo vincendi suasit cunctationem & moram. Ille audenti, hic timenti similior. ~~Alterius~~ obsidio Numantinae ac Saguntinae similis, alterius Carthaginis et Alexiae. Auriaci obsidio minorum fuit impensarum, plurium funerum. Spinolae minorum funerum, plurium impensarum. Spinolae, obsessis non minus, quam obsidentibus, taedium attulit. Auriaci subita fuit et ad miraculum brevis. alter cum viris pugnavit et ad bellum admissis; alter cum famelicis potius stomachis. Huius difficilis, ob brumam ad comportandum ex longinquo commeatum, difficultatem. Illius difficilis, ob hostem animose pugnantem. Auriacus festinandum sibi videbatur, ob menses aestivos, aptos quaquaversum inferendo bello. Spinola minus a mora sibi metuebat, ob hyemem & pluvios menses ineptos ad inferendam vim. Alter brumam duravit, alter aestatem, alter opportuno tempore bellum gessit, alter importuno, ut alterius obsidio magis pertinaciae affinis fuerit, alterius prudentiae. Auriacus obsidione coepta et urbi institit a fronte, et hosti a tergo. Spinolae nec cum urbe negotium fuit, quia pugnare cavit, nec cum hoste, quem non nisi fesso habuit. Spinola potentissimi Regis, Asiae Africaeque dominatoris opibus vicit. Nos nostro, hoc est benevolorum civium succo. Ille, ut tutam redderet obsidionem, auxilia ex Germania advocare necesse habuit. nos solito milite toti minore mole vicimus. Illi cum pluribus praesidiariis res fuit, sed contra quam volebant, otiosis. Nobis ~~Huic~~ cum paucioribus, sed ~~[illegible]~~ pugnantibus et fortiter resistentibus.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 123
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1764

Auriaco patria sua obsidionem imperavit ut civi, respublica ut
Duci. Spinolae peregrina tellus ut Duci quidem, sed [illegible]
ut alter pietatis motu, alter regia solum authoritate rem
tantam aggressus fuerit. De his aliisque fusius
disserit oratio nostra. Serius, quam volebam, excusa
fuit, ob obitum uxoris Blaeuwii typographi. Qui
sacratis Panegyrica mea Celsissimo Principi libens
obtulisti, rogo, ut hunc quoque Panegyricum sermonem
eidem submisse et reverenter offerre non graveris.
Quam ex se non meretur, à tuo contactu impetrabit
gratiam. Vale vir Nobilissime & clarissime
et tui amantissimum redama. Amstelod. xix Nov. 1639.

Quae ~~[illegible]~~ summis viris inscripsi
volens per famulum tuum tradi.
Sum afflictiore valetudine ab hypochondriorum obstructione
quae me in vertigem post dolor morbi detexit. Sed
facile est Deo Opt. Max. me mihi reddere et servare
iam subtristem et pro morbi genio minus [illegible].

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 123
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1764

Nobilissimo, praestantissimo,
clarissimoque viro D. Constantino
Hugenio Eq. Domino
Zulichemi, et Celsitudini
Auriacae à Secretis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 123
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1764